



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus
voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. Triplici conclusione difficultas proposita resolvitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

monstrati visionis, beatificæ possibilitatem; illa tamen supposita demonstratione theologicæ ejus possibilitatem posse ostendi.

Prima pars hujus corollarij patet ex dictis; nam adhuc revelatione supposita non potest naturalis ratio nisi causas & effectus naturales cognoscere: At ex illis nequit evidenter cognosci possibilitas visionis beatæ, ut supra ostensum est: ergo etiam revelatione supposita, ratione naturali demonstrari nequit.

Quod vero Theologicè demonstrari possit etiam constat, nam hæc demonstratio theologicæ est: Propensio innata, sive naturæ sit, sive gratiæ, ad impossibile terminari nequit: At homo habituali gratiâ præditus propensione innatâ, non naturæ, sed gratiæ in supernaturalem beatitudinem tendit: Ergo illa est possibilis. In quâ demonstratione Major et nota lumine naturali, Minor vero est de fide, cum gratiæ habitus secundum fidem sit semper gloriæ, & fons aquæ salientis in vitam æternam, seu in illam connaturaliter tendens: Ergo conclusio, quæ ex illis præmissis per bonam consequentiam inferitur, theologicæ est.

ARTICULUS V.

Qualis sit appetitus hominis virtuosus ad claram Dei visionem?

S. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

81. Notandum primò ex D. Thoma 1. parte quæst. 19, art. 1. duplicem dari appetitum, unum innatum, alterum elicitem. Primus est inclinatio, seu propensio ab auctore naturæ indita, quâ unaquæque res absque ulla cognitione in suum bonum connaturale est præpensa: qualis est propensio gravis in centrum, & levis in locum suum. Secundus verò, qui propriè rationem appetitus habet, est actus appetendi, quo res fertur in bonum cognitum sub ratione boni; & ita procedit à speciali quadam potentia, scilicet ab appetitu sensitivo, vel rationali, quorum unus fertur in bonum sensibile, alter verò in bonum ut sic.

82. Notandum secundò. Appetitum elicitem adhuc duplicem esse: unum efficacem, & absolutum, inferentem executionem mediæ necessitatis ad executionem boni concupiti: alium inefficacem, seu conditionatum, qui dictam executionem mediæ non infert, & velleitas quædam appellari solet. Prior significatur per verbum *volo*, posterior per verbum *vellem*: ille fertur in rem solum possibilem haberi, iste verò etiam ad impossibile se extendit.

83. Notandum tertio, Appetitum elicitem alium esse necessarium quoad specificationem & exercitium simul, ut in brutis circa bonum conveniens apprehensum, & in beatis circa Deum clarè visum: alium verò esse necessarium tantum quoad specificationem, qualis est actus appetendi beatitudinem in communi; nam licet homo naturaliter inclinetur ad bonum, seu beatitudinem in communi, non necessitatur tamen ad eliciendos semper actus amoris circa hujusmodi bonum, sed interdum eos suspendere potest. His præmissis,

Difficultas & controversia est inter Theologos, quoniam appetitu feratur homo in claram Dei visionem? Scotus enim in 4. dist. 49. quæst. 10. Durandus ibidem quæst. 8. & Valentia 1. 2. q. 5. a. 8. disp. 1. punct. 1. docent in natura intellectuali, secundum se considerata, esse appetitum innatum ad claram Dei visionem, prout est in se trinus, & unus. Valquez autem 1. 2. disp. 22. Suarez libro 2. de attrib. negat. cap. 7. num. 10. & 11. & alij ex recentioribus volunt esse in natura intellectuali appetitum, non quidem innatum, sed elicitem, saltem conditionatum, & inefficacem, necessarium tamen quoad specificationem, ad eandem Dei visionem, prout est in se trinus & unus, sive prout est author tam naturæ, quam gratiæ. Pro resolutione, sit

§. II.

Triplici conclusionis difficultas proponitur & resolvitur.

Dico primò: Non datur in homine secundum se considerato, seu fide & gratiâ destituto, appetitus innatus ad claram Dei visionem.

Probatur primò: Appetitus innatus (ut in notabili diximus) est pondus quoddam naturæ in bonum sibi connaturaliter debitum: Atqui in homine secundum se considerato nullum datur pondus naturæ, sed duntaxat potentia obedientialis ad claram Dei visionem, cum illa non sit connaturaliter ei debita, sed superexcedens, & improporionata viribus ejus naturalibus, ut ex supra dictis patet: Ergo non datur in homine secundum se considerato, seu fide & gratiâ destituto, appetitus innatus ad visionem beatificam: Unde D. Thomas in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 3. quæstiones 3. *Quæstio ex naturali inclinatione voluntas feratur in beatitudinem secundum communem rationem, tamen quod feratur in beatitudinem talem, vel talem, non est ex inclinatione naturæ, sed per discretionem rationis, quæ adinvicem in hoc, vel in illo summum bonum hominis consistit.*

Confirmatur, & magis illustratur hæc ratio: Appetitus innatus est à Deo ut auctore naturæ, & infundente formam naturalem: Sed appetitus visionis claræ Dei non potest esse ab auctore naturæ: Ergo non potest dari appetitus innatus ad illam. Major patet, Minor probatur primò. Appetitus à Deo ut auctore naturæ inditus, solum tendit in Deum ut finem naturalem, nam ut communiter dicitur, *juxta ordinem agentium, est ordo finium*: Atqui Deus ut clarè visus non est finis naturalis, sed supernaturalis: Ergo appetitus visionis claræ Dei non potest esse à Deo ut auctore naturæ, sed solum ut largitore gratiæ, & aliorum donorum supernaturalium.

Secundò eadem Minor luadetur: author naturæ non dat appetitum, quem non possit explorare: Sed Deus ut author naturæ non potest explorare, aut quietare appetitum visionis beatificæ: Ergo nec illum tribuere. Minor patet, natura enim, sive potius author naturæ nihil facit frustra: faceret autem aliquid frustra, si daret appetitum ad aliquid, ad quod non posset perducere. Unde Aristoteles 2. de celo, textu 3. docet, quod si natura dedisset cælis inclinationem ad motum progressivum, dedisset etiam instrumenta ad talem motum; quod etiam alibi asserit de quibusdam animalibus imperfectis, quibus natura talia instrumenta denegavit. Minor etiam non est minus evidens: tum quia visio beatifica, cum sit omni-

omnino supernaturalis, est extra sphaeram totius naturae, imò & ipsius Authoris naturae, considerati praecise ut talis; sic enim ad effectus naturales coarctatur. Tum etiam, quia ille non potest perducere ad aliquem finem, qui non potest dare media necessaria ad acquisitionem ipsius: Deus autem, ut Author naturae, non potest tribuere media necessaria ad visionem beatam, cum illa sint entitative supernaturalia, nimirum gratiae, fides, spes, charitas, & lumen gloriae: Ergo &c.

88. Dico secundò: Ex viribus naturae non datur in homine appetitus elicitus, & efficax ad claram Dei visionem.

Probatur primò: Omnis appetitus elicitus fundatur in aliqua cognitione, unde communiter dicitur: *nihil volitum, quin praecognitum*: Sed naturaliluminae rationis visio beatifica non potest cognosci ut possibilis, sicut antea demonstravimus, nec Deus, ut Author gratiae, & gloriae, sed tantum ut author naturae: Ergo quamvis ex cognitione naturali creaturarum sequatur in nobis desiderium naturale videndi primam causam, quatenus prima causa naturalis est, non tamen cognoscendi Deum, ut est in se, & videndi divinam essentiam.

89. Confirmatur, & magis illustratur haec ratio: Circa objectum ut apparens impossibile, seu nondum apparens ut possibile, nullus appetitus efficax fundari potest, ut ex se constat: Ergo cum homo ex viribus naturae possibilitatem visionis Dei uret in se apprehendere non possit, ut ostendimus articulo praecedenti, non potest ex viribus naturae illam appetere appetitu elicito efficaci.

90. Prob. secundò: Si posset appeti naturaliter divinae essentiae visio desiderio absoluto, & efficaci, posset etiam appeti naturaliter media, sine quibus finis ille haberi nequit, id est auxilia divinae gratiae: Sed hoc Pelagianum est, nam D. Augustinus de corrept. & gratia cap. 1. docet, quod desiderium, quod desideramus gratiam, ex gratia est; & D. Prosper contra Collatorem c. 8. illum redarguit, eo quod dixerit, hominem suis viribus posse desiderare animae salutem: Ergo &c.

Probatur tertio in homine respectu visionis divinae essentiae, solum est capacitas, seu potentia obedientialis: Sed haec non sufficit ad eliciendum actum desiderij efficacem, & absolutum; nam alias simili actu desideraremus omnia quae Deus sua potentia absoluta in nobis potest efficere quod absurdum est: Ergo homo non potest naturaliter desiderio absoluto appetere visionem beatificam.

91. Denique suaderi potest conclusio ratione fundamentali. Appetitus elicitus efficax est ille, qui fertur in bonum proprijs viribus, & ex vi illius desiderij consequibile: Sed visionem beatam non possumus assequi viribus naturae, ut est certum de fide: beatitudo enim perfecta, quae in tali visione consistit, est finis supernaturalis hominis, ad quem ordinatur ex divina gratia; ut in pluribus concilij definitum est contra Pelagianos: Ergo ex viribus naturae non datur in homine appetitus elicitus, & efficax ad claram Dei visionem. Quod ut fiat evidentius, & haec veritas, quae est praecipuum disputationis de gratia fundamentum magis declaratur.

92. Observandum est primò cum D. Thoma 1. 2. quæst. 109. art. 2. necessitatem gratiae in nobis ex duplici potissimum capite peti. Primò ex infirmitate naturae per peccatum originale corruptae. Secundò ex elevatione objecti, & actus

A supernaturalis supra potentias naturales animas. Prima ratio necessitatis non habuit locum in Angelis in statu viae, nec in primis parentibus in statu innocentiae, sed tantum secunda: utraque vero locum habet in hominibus in statu naturae lapsae: ut in tractatu de voluntate Dei fusè exponemus.

Diff. 3.
art. 7.

Secundò observandum est, in quolibet ordine rerum tria reperiri: nempe substantiam, seu naturam rei, finem ipsius, & inclinationem ad illum. Nam Angeli natura v. g. per hoc explicatur, quòd sit aptus intelligere omne ens ad modum suae substantiae. Finis ipsius est cognitio Dei perfectissima, ut relucet in creaturis, & accommodatur modo essendi illius. Voluntas est inclinatio tendens ad illum finem. In ordine autem supernaturali visio beata tenet locum finis, gratia locum substantiae, charitas est inclinatio ad illum finem. Quare sine charitate nullus potest tendere efficaciter ad gloriam, & visionem beatificam, nec illam promereri, & ideo charitas dicitur esse principium & radix meriti vitae aeternae. Cum ergo ex viribus naturae non possit elicui actus charitatis, non potest in natura esse appetitus elicitus efficax respectu visionis beatificae.

Dico tertio: Quamvis ex viribus naturae possit dari appetitus inefficax, & conditionatus clarae Dei visionis, ille tamen non est necessarius quoad specificationem.

93. Prima pars patet, tum in haereticis, & peccatoribus hoc modo beatitudinem suam naturalem, & claram Dei visionem desiderantibus, tum ex discrimine, quod inter appetitum efficacem, & inefficacem reperitur: ille enim fertur in bonum ut actu assequibile, & per media obtinendum; iste vero fertur in bonitatem rei absolute & nudè consideratam: unde appetitu inefficaci, & conditionato impossibilia appeti possunt, sicut plures appetunt semper vivere, habere divitias infinitas, & alia hujusmodi.

94. Secunda vero pars, quam negant Vasquez, & Suarez, ratione fundamentali suadet. Ut aliquid necessario appetamus, requiritur, quòd evidenter cognoscamus, in eo consistere veram, & adequatam rationem beatitudinis, & summi boni, & non sufficit, quòd in eo absolute loquendo reperitur ratio summi boni, & verae beatitudinis: Sed ex viribus naturae non cognoscitur clarè & evidenter rationem summi boni, & verae beatitudinis in sola Dei visione consistere: Ergo illam non appetimus necessario quoad specificationem. Major patet, quamvis enim in solo Deo reperitur ratio summi boni, & tota nostra beatitudo, Deus tamè non amatur necessario ab hominibus, etiam necessitate quoad specificationem, cum plures eum odio habeant. Minor vero patet ex dictis art. praecedenti, ubi ostendimus ex viribus naturae non posse cognosci possibilitatem visionis beatae; ex quibus a fortiori constat, non posse cognosci ex viribus naturae rationem summi boni, & verae beatitudinis in Dei visione consistere.

95. Confirmatur. Quòd appetimus necessario necessitate quoad specificationem, appetitur ab omnibus hominibus, ut patet de bono ut sic, & de beatitudine in communi: Sed non omnes appetunt immediate claram Dei visionem: Ergo illam non appetimus necessario quoad specificationem. Major patet, Minor probatur. Illi non appetunt visionem claram Dei, qui negant ejus possibilitatem: Sed plures non solum ex aethenicis, Atheis,

Atheis, aut hæreticis, de quibus supra, sed etiam, ut vult Vatquez, multi ex SS. Patribus possibilitatem visionis Dei negantur: Ergo saltem illam necessarium non appetebant. Dixi *necessarium*, quamvis enim appetitu inefficaci appetere possimus quæ nobis apparent impossibilia, nihil tamen impossibile cognitum ut tale appetitur appetitu elicito necessario quoad specificationem, tamen ille appetitus sit solum conditionatus.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

92. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: D. Thomas hic art. 1. dicit: *Inest homini naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectum.* Ex quo inferit, quod si intellectus creatus non posset ad visionem causæ primæ pervenire, remaneret inane desiderium naturæ: Ergo ex D. Thoma inest homini naturalis appetitus ad visionem beatificam. Neque dici potest S. Doctorem ibi loqui de appetitu elicito inefficaci ad visionem beatificam, quæ diximus hominem posse habere sine auxilio gratiæ. Ibi enim intendit demonstrare possibilitatem visionis beatæ ex naturali desiderio, quod habet homo videndi causam, cum intuetur effectum: si autem per tale desiderium intelligeret appetitum elicitem, inefficacem & conditionatam, hæc ratio non concluderet, quia appetitus elicitus, inefficax & conditionatus verari potest circa impossibilia, ut supra diximus: Ergo &c.

90. **R**espondeo approbando responsum datam: cum enim D. Thomas ibi loquatur de appetitu videndi Deum, qui excitatur in nobis visis Dei operibus, qui proinde oritur ex aliqua cognitione præsupposita, manifestum est illum non loqui de appetitu inæto, qui nullam præsupponit cognitionem, sed est aliquid veluti pondus naturæ inclinantis ad aliquid bonum; sed de elicito, qui in aliqua prævia cognitione fundatur.

Ad instantiam in contrarium imprimis dici potest, rationem D. Thomæ non esse demonstrativam, sed probabilem tantum congruentiam, quia cum mysteria nostræ fidei, inter quæ visio beatifica numeratur, lumen naturale intellectus transcendunt, non possunt evidenti ratione demonstrari, sed probabiliter tantum congruentiâ suaderi. Hoc pacto idem S. Doctor infra quæstione 27. Verbi divini processionem probabiliter ostendit, ex eo, quod omne intelligens producit in se verbum, & conceptionem rei intellectæ. Et 3. part. quæst. 1. a. 1. probat incarnationem Verbi Divini ex ratione suæ boni, cui conaturale est summo modo se communicare, & resurrectione ex inclinatione animæ ad corpus.

Secundo dicere possumus cum Ferrariensi, quod quando D. Thomas dicit, visis effectibus Dei exurgere in nobis desiderium naturale videndi causam, non intendit esse in nobis desiderium videndi Deum, ortum ex virtutibus naturæ; sed quod sit in nobis desiderium videndi Deum, conaturale, & proportionatum cognitioni, quam de illo habemus. Unde cum per lumen naturale intellectus illum cognoscimus valde imperfecte, & tantum ut authorem naturæ, ex illo in nobis exurgit desiderium quoddam imperfectum illum cognoscendi, & videndi ut authorem naturalem, & quantum ad illa prædicata, & attributa, quæ in creaturis relucet. E contra vero cum per fidem illum perfecte, ut authorem gra-

ria & gloriæ cognoscimus, ex tali cognitione supernaturali oritur in nobis desiderium supernaturale, & tunc cognitioni proportionatum videndi illum ut in se est.

Objicies secundò: Quælibet potentia habet appetitum innatum in suum objectum, cum ab illo recipiat totum suum esse, & suam specificationem & perfectionem: Sed Deus clarè visus continetur sub objecto intellectus creati: Ergo conaturaliter in eum inclinatur.

Confirmatur: Quælibet natura creata habet appetitum innatum ad proprium finem & centrum: sicut ignis ad locum solum, & lapis ad locum deorsum; usque non quiescit, donec ad illum pervenerit: Sed Deus clarè visus est finis creaturæ intellectualis, & proprium illius centrum; unde non quiescit, donec ad illum pervenerit: juxta illud Augustini 1. Confess. c. 1. *Existis nos Dominæ de, inquit, est cor nostrum, donec requiescat in te.* Ergo &c.

Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Quælibet potentia habet appetitum innatum ad suum objectum conaturale & proportionatum, concedo; excedens, & impropportionatum, nego. Similiter distinguo Minorem: Deus clarè visus continetur sub objecto intellectus creati conaturali, & proportionato, nego; impropportionato, & excedente, concedo. Solutio constat ex supra dictis.

Confirmationem similiter dicendum est, quælibet naturam creatam habere appetitum ad proprium finem, si talis finis sit conaturalis, & conaturaliter debitus; secus autem, si sit supernaturalis, & ad illum gratuitâ Dei voluntate, & ordinatione elevata. Visio autem beatifica non est finis naturalis hominis, nec ei conaturaliter debitus; sed supernaturalis, & ad illum summâ Dei bonitate, & gratuitâ beneficentia ordinatus. Unde si homo fuisset conditus in statu naturæ puræ, non habuisset pro ultimo fine claram Dei visionem, sed tantum cognitionem quandam abstractivam Dei, ut auctoris naturæ, quam habuisset per species creaturarum, ut dicemus in tractatu de statibus humanæ naturæ.

Objicies, tertio contra tertiam conclusionem: In Deo clarè viso nulla potest appetere ratio mali: Ergo cum homo non possit odire bonum, in quantum bonum, in quo nulla apparet ratio mali, necesse situr saltem quoad specificationem ad amandam, & desiderandam visionem beatificam. Unde Augustinus 17. de Trinit. c. 8. dicit, omnes naturali instinctu velle esse beatos.

Respondeo quod quævis nobis viatoribus in visione beata nullum appareat malum positivè, in eam enim appareat aliquid malum negativè, quia non cognoscitur pro hoc statu in ea consistere omne bonum, quod sufficit ad hoc, ut non appetatur necessitudo quoad specificationem: sicut licet Deus sit de facto omne bonum, quia tamen pro hoc statu id a nobis clarè non cognoscitur, non amatur necessario, sed a quibusdâ odio habetur. Et de facto carnales homines ita suis voluptatibus addicti sunt, ut si eis daretur eligendi licentia, in eis semper vellent permanere, & propter ipsas visionem Dei contemnerent. Unde quando Augustinus ait, omnes naturali instinctu velle esse beatos, loquitur de beatitudine in communi, quam omnes naturaliter desiderant, & nemo potest odio habere; non autem de beatitudine in particulari, quæ in Dei visione consistit, quam vis in eodem capite à beatitudine in communi transeat postea ad beatitudinem in particulari.